



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quomodo vnusquisque orare debeat. lxxiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Vt presbyteri plebes admoneant vt bubulcos atque porcarios in principalibus festis ad Missam venire permittant. Cap. LXXI.*

**A**dmonere debent sacerdotes plebes subditas sibi, vt bubulcos, atque porcarios, vel alios pastores, vel aratores qui in agris assiduè commorantur, vel in siluis, & ideo velut more pecudum viuunt, in dominicis & in aliis festis diebus saltem vel ad Missam faciant vel permittant venire: nam & hos Christus precioso sanguine suo redemit. Quòd si neglexerint, pro animabus eorum absque dubio rationem se reddituros sciant. Siquidem dominus veniens in hunc mundum non elegit oratores atque nobiliores quosque, sed piscatores atque idiotas sibi discipulos assciuit, vt ostenderet in facto, quod ipse verbis in Euangelio affirmat, dicens: Quod hominibus est altum, abominabile est apud Deum. Et salua altiore intelligentia, natiuitas nostri redemptoris primò omnium pastoribus ab angelo nunciatur.

*Ex cõcil. Rotoma. cap. 5.*

*De admonitione presbyterorum. Cap. LXXII.*

**V**T sacerdotes admoneant populum vt eleemosynam dent, & orationes faciant pro diuersis plagis, quas assiduè pro peccatis patimur.

*Ex cõcil. Aureliã. cap. 4.*

*Quomodo vnusquisque orare debeat. Caput LXXIII.*

**I**tem instruendus est populus, vt singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret: mane scilicet & vespere, dicens Symbolum & Orationem dominicã: siue, Qui plasmasti me miserere mei, vel etiam, Deus propitius esto mihi peccatori: & Deo gratias agens pro quotidiana vitæ com meatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & à pecudibus segregare. His peractis, & solo Deo creatore suo adorato, sanctos inuocet, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur. Hæc faciant, quibus basilicæ locus prope est, in basilica: qui verò in itinere, aut pro qualibet occasione in siluis, in agris, vbicunq; eos ipsa hora matutina vel vespertina inuenerit sic faciant, scientes Deũ ubiq; præsentẽ esse, dicentẽ Psalmista: In omni loco dominationes eius.

*Ex eodem cap. 6.*